

**Epistola anatomica, problematica quarta / ad ... Fredericum Ruyschium
[with his reply] ... Authore Joh. Jac. Campdomerco. De glandulis, fibris,
cellulisque lienalibus, &c.;**

Contributors

Campdomercus, Johannes Jacobus, active 1696
Ruysch, Frederik, 1638-1731

Publication/Creation

Amstelaedami : Apud Janssonio-Waesbergios, 1725.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eg9gdmgf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. II

18/12

7188 . SC(8)

45330/B

Opera [C] II. 1-17

Part of Opera Omnia

Index
7

2
EPISTOLA

Anatomica, Problematica

Q U A R T A,

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUYSCHIUM,

M. Doct. Anatomiae ac Botanices Professore,

D E

Glandulis, Fibris, Cellulisque Lienalibus, &c.

Auctore

JOH. JAC. CAMPDOMERCO.



AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS,
MDCCXXV.

EPISTOLA

QUARTANA

FREDERICUS REYSCHLUM

Glandulae, Libriae, et alia, etc.

JOH. JAC. CAMERON



AMSTELÆDAMI
APUD JANSSEN & VESBERGEN
MDCCXXV

Clarissime Vir,



Unquam te, tam gravibus distentum occupatio-
nibus, interpellare ausus fuisssem, nisi jam satis
perspexissem benevolum tuum animum, quo non
dedignatus es sereno excipere vultu, qui in re-
bus Anatomicis tuæque Professionis studio, aut
oblectamenti, aut utilitatis gratia sese exercere
gaudent. Quorum studia tibi adeo cordi sunt, ut nihil eorum,
quæ ad veram perfectamque rei Anatomicæ cognitionem utilia
videntur, prætermittas, verum fidei tuæ commissis discipulis,
quæcunque scitu necessaria sunt, candide communices, atque
ita ad intima hujus artis arcana penetranda viam aperi-
as. Tanta erga eos apparet animi tui benevolentia, ut, sicuti verum Pro-
fessorem, demandatoque sibi officio gloriose fungentem, decet,
filiorum eos loco habeas, paternoque vultu semper excipias, ne-
que eorum quæstiunculis placide respondere unquam dedigneris.

Hac igitur fretus tua benignitate, Clarissime Vir, ego quæ-
stionibus meis tibi molestus esse non veritus sum, nullus dubitans,
quin bonam in partem hanc audaciam sis accepturus.

In Demonstratione Anatomica, nuperrime in Collegio à te ce-
lebrata, Lienem nobis exhibuisti, in quo varia demonstrabas, quæ
diversos præclaros Auctores sicco pede transiisse, aut perversè,
aut plane non tractasse aut depinxisse, multis evolutis volumini-
bus, comperio. Quare interrogare me non puduit, quid cau-
sæ esset, quod hac in re cum ceteris Anatomicis in totum dis-
crepares, & quod illi summi Viri, quibus alias Apollo satis fa-
vet, tam crasse hîc hallucinati sint. Quam difficultatem hoc
responso diluere voluisti, quod scilicet invento tuo novo,
plurima alia facie multoque distinctius sese offerrent, quodque
eodem illo invento, multa ad hoc usque tempus incognita, aut
non satis accurate cognita, quotidie detegas, de quibus alii, in
hac præparandi Arte non exercitati, nullo modo cogitant. Addi-
disti præterea, haud minimam hujus erroris causam esse, quod
plures Anatomici, in dissectionibus suis, magis ad brutorum,
quam ad Hominum Corpora confugiunt. Unde contigit, ut præ-
judicio nimis occupati, & analogiam inter Viscera humana &

Quadrupedum nimis extendentes, de Corporis humani structura perversum iudicium tulerint.

Hæc omnia veritati consentanea esse, deprehendi quoque circa Lienis humani demonstrationem. Nam à te summo exspectans nuper desiderio, adeo ab Auctoribus decantatarum Lienalium Glandularum exhibitionem, ut & filamentorum fasciculos, per Lienis substantiam dispersos, nec non Cellulas à Malpighio descriptas, & à Professore Bidloo nuper designatas, exspectatione mea me deturbari, ac protantis Auctorum pollicitis, nil nisi umbram & fumum reperire, non sine summa admiratione deprehendi: Nihil enim supra commemoratorum in Liene humano videre mihi contigit, quamvis ne minimam quidem particulam in Lienis demonstratione intactam reliqueris.

Itaque, cum Lienem humanum nobis exhibueris, tali modo præparatum, ut perspicue pateret, nullas in eo dari Glandulas: à te scire velim, Clarissime Vir, an rejicias omnem Glandularum Lienalium in Liene humano existentiam; an non etiam dictæ glandulæ sint reperiendæ in Liene Vitulino aut Ovino, & ceterorum Lienibus brutorum? siquidem Professor Bidlous dictas Glandulas in Corpore humano non solum admiserit, in explicatione Tabulæ 36. verum etiam eas depingi curaverit.

Nobis autem varios quidem exhibuisti Lienes humanos recentes non solum, sed etiam diverso ritu præparatos, ut & alios *flatu parum distensos, exsiccatos & transversim dissectos* (hisce enim utitur verbis, ubi de suis agit, Professor ante dictus) Verum quos nobis demonstrabas Lienes flatu expansos & exsiccatos, ex Vitulorum esse corporibus desumptos, adjiciebas; nullos autem è Corpore humano tali modo præparatos nobis exhibebas.

Scire porro cuperem, Clarissime Vir, an in totum quoque rejiciendæ sint fibræ adeo decantatæ, per Lienis humani substantiam disseminatæ, ac tam insignibus ab Auctoribus usibus donatæ? Hæc enim Professores Bartholinus, Wepferus, Higmorus, Vesalius, Whartonus, & alii descripserunt: Imo, quod magis miror, Bidlous olim eas suo in Opere Anatomico depingi curavit.

Præterea quærere ex te cuperem, Clarissime Vir, quid sentiendum sit circa Lienis Cellulas, quas nobis in demonstratione tua non indigitaſti, cum nihil soleas alioquin prætermittere, ex iis, quæ in quaque parte notatu digna sunt, imo sæpius addas, quæ à
nul-

nullo alio haftenus descripta aut depicta sunt. Ubi enim alii reputant bene se gerere in minimis ossiculis distincte exhibendis, Tu, in iis nequaquam acquiescens, istorum ossiculorum non tantum membranas, sed & vasa per ea decurrentia in conspectum producis.

Denique Venæ Lienalis delineationem Veram atque perfectam à Te peterem.

Quod superest. Vir Clarissime, ut diu incolumis vegetusque conserveris, quo res Anatomica præclaris tuis inventis magis magisque ditescat, & ut tuorum rei que literariæ bono longos adhuc vivas per annos, Deum Ter Opt. Max. iterum atque iterum precatur

Obsequentissimus, tibi que, tueque familie æternum addictissimus,

Amstelod. 1 Martii 1696.

JOH. JAC. CAMPDOMERCUS.

F R E D E R I C I R U Y S H I I R E S P O N S I O,

Ad Studiosissimum Dominum

JOH. JAC. CAMPDOMERCUM.

In Epistolam ejus Anatomicam, Problematicam, quæ inter nostras ordine existit quarta.

F Lagrantem tuum animum erga Studium Anatomicum satis agnovi, non solum in collegio privato, verum etiam ex literis primo Martii ad me datis, in quibus nonnulla, olim à me exhibita, in memoriam revocas, pleniorque illustrationem rogas: & primo quidem à me scire desideras, an omnem Glandularum in Liene Humano existentiam rejiciam?

Secundo, scire aves, an non etiam dictæ Glandulæ, si denegentur Homini, admittendæ sint in Liene vitulino?

Tertio, an Fibræ, Whartonianæ dictæ, per Lienis vitulini substantiam disseminatæ, in Liene humano quoque non inveniantur?

Quarto, quid statuendum de Cellulis Lienalibus, ab Auctoribus adeo decantatis?

Quinto à me exigis veram delineationem Venæ Lienalis humanæ.

Quoad primum atque secundum; admodum quidem famosum est apud Neotericos, Lienis Glandulis scatere exiguis, easque ab incomparabili Anatomico Malpighio esse detectas, unanimiter asserunt, illudque placitum à multis jam annis viguit; Huic opinioni olim quoque suffragabar, vulgari enim methodo cum instituerem demonstrationes Anatomicas, tales, quales statuunt, mihi quoque videbantur occurrere Glandulæ Lienales, tanquam corpuscula rotunda per se subsistentia, vasculis sanguineis ditata. Huic magis inhærebam sententiæ, cum faventem haberem Malpighium oculatissimum, qui in exercitatione de Liene ita loquitur: *Hæ glandulæ minimæ figuram habent ovalem, & magnitudine parum distant à renum glandulis: colorem habent, ut perpetuo observavi, album; & licet Lienis sanguinea vasa injecto atramento turgiant, & circa ipsas ludant, hæ tamen eundem servant colorem.*

Postquam autem nostro novo artificio Lienis œconomiam accuratius perlustrarem, nova sese exhibuit apparentia, quâ visâ, ad ulteriorem perscrutationem me contuli: vasa sanguinea infarciendo mea methodo, quibus in totum turgidis, integrum Lienis humani constitutum nil esse deprehendi, nisi congeriem quandam Arteriarum, Venarum, Lymphæ ductum & Nervorum, quæ membranis ambientibus coërcentur, & præter hæc omnia nil peculiare in sui constitutionem adsciscere Lienem humanum, comperio. Notandum autem, quod protractæ & extremæ Arteriarum venarumque propagines videantur aliam acquirere naturam, nam adeo molles & succosæ existunt, ut facili negotio partim in nihilum, ut ita loquar, redigi possint; dissolvuntur enim à fricatione quacunque levissima earum particulæ extremæ: imo sola maceratione in aqua simplici facta, donec levem acquirant putredinem, in liquorem fuscum aut atro-rubicundum dissolvuntur. Has protractas vasorum sanguineorum propagines, molles, materiâ nostrâ turgidas, meras esse vasorum sanguineorum propagines, in Musæo nostro indigitavi variis Anatomiae peritis; & quod glandulas repræsentare videantur, nulla alia est ratio, quam quod dictæ propagines fasciculatim dispositæ sint & in corpuscula molliora, succosiora atque rotunda redactæ, id quod non solum aliis, verum etiam mihi eo usque imposuit.

Distinguendæ autem sunt dictæ propagines fasciculatim dispositæ à glandulis, quandoquidem nulla peculiari membranula sint

sint obductæ, nec per se consistant, id quod in Glandulis requiritur; hîc vero nil, præter vasa sanguifera, fere occurrit, vid. Tab. 4. Fig. 4. Quæ duos repræsentat ramulos, quorum unus, Lit. A. notatus, Arteriæ Splenicæ humanæ ramusculum denotat. B. autem Venæ Splenicæ humanæ ramusculum. Neque Nervorum neque Lymphaticorum ramusculos addidi, quia invisibiles existunt in tam exigua particula. Circa dictorum ramusculorum sanguiferorum extremas propagines & protractiones, Lit. A. & B. insignitas, fasciculos, ceu penicillos minutissimos repræsentantes, considerandum ulterius, primo, eas multis numeris esse plures ac subtiliores, quam hic delineare potui. Secundo, illas aliquando degenerare in tubercula dura, atque globosa. Tertio, eas neutiquam esse dicendas nexus, contrarium indigitante figurâ quartâ. Quarto, dictas propagines sibi invicem proxime esse adfatas, nulla intercapedine visibili superflite, aut spatio inani, aut cellula, licet oculatissimus Malpighius hæc omnia describat, & Cl. Bidlous depingat. Nullas, dico, intercedere intercapedines naturales, nisi à digitorum fricatione, fasciculorum ruptione, aut alia quavis tractatione violenta, flatuque præter naturam excitentur.

Quoad tertiam petitionem, quam à me exigis, circa fibras in humano Liene, ut ajunt, existentes; nunquam tales, quales Auctores describere fibras, in Liene humano offendi: dicuntur enim à Nobilissimo & exercitatissimo Whartono excurrere quaquaversum ad tunicam ipsius, indeque reflecti. In Cl. Malpighii exercitatione de Liene hæc reperiuntur cap. 2. *Fibrarum, quibus univ ersus Lien stipatur, tantus est proventus, & mira implicatio, ut abunde naturæ solertia in custodiendis, fulciendisque propriis machinis, innotescat.* Porro inquit: *Enascuntur hæ fibræ ab interiori Lienis membrana, & per transversum producuntur non in oppositam dictæ membranæ partem, sed ad capsam quandam, sive commune involucrum vasorum, per medium Lienis perreptans.*

Nathanaël Higmorus, Anatomicus solertissimus, dictarum fibrarum assertor strenuus, hisce utitur verbis Lib. 1. part. 2. *Fibræ hæ, ab Anatomicis pro venis habitæ, quasi rami splenici essent propagines, sunt revera filamenta tenuia, valida, nullam cavitatem habentia, nec à ramo splenico, sive arteria originem ducentia, sed varie inter se complicatæ fibræ, quasi retia multa complicata*

& connexa fuerint, utrinque tunicae lateribus firmiter adnectuntur, ex qua principium ducere videntur, &c.

Cl. Prof. Bidlous de hisce Fibris ita loquitur in explicatione Tab. 36. *Ex hac quoque membrana ab uno ad aliud latus transversa, inter se connexi, nullamque cavitatem visibilem possidentes, filamentorum emittuntur fasciculi, totum Lienis corpus usque ad communem capsam perreptantes.*

Ego autem in Liene humano tales nunquam offendi Fibras, etsi omnem adhibuerim diligentiam. In Vitulino vero Liene res quidem ita se habet, in eo enim præter arterias, fasciculosque arteriosos (venosi hic secus ac in humano splene deficiunt) in conspectum prodeunt innumeræ fibræ, varia serie, & situ inordinato dispositæ, ramosæ, & inter se textæ, in quarum intercapedine Vasorum extrema, fasciculos toties memoratos repræsentantia, reconduntur: magni quoque videntur esse usus supradictæ fibræ in Liene vitulino, scilicet, ut stabiliant fulcos per Lienem Vitulinum, loco ramorum venosorum repertos, ne à sanguine refluxo nimis extendantur. In Liene autem humano nullis fulcis, aut venis instructo, tales haud requiruntur fibræ. Dixerit forsitan aliquis, sese tales fibras in Liene humano non raro offendisse, sanguine, nec non ita dictis glandulis elutis, & ademptis. Resp. mihi quoque non semel talem obvenisse apparentiam, post Lienis humani excarnationem (ut dicere solemus) tunc enim Vasa sanguinea æmulantur fibras: si vero ante ita dictam excarnationem repleatur Vena & Arteria, reperiemus, quod nil peculiare præter Arterias & Venas, pari passu ambulantes; vix visibiles lymphæ-ductus, ut & nervos exiguos, membranamque, dicta vasa coercentem, & obvelantem, in sui constitutionem adsciscat Lien humanus. Sic quoque Placenta uterina nullis gaudet fibris, nullis glandulis peculiaribus, nec cellulis, Vasis sanguineis interpositis: leviter enim infarctis Venâ & arteriis umbilicalibus totum ejus constitutum nil aliud esse experimur, quam aggeriem Arteriarum & Venarum, sicuti in Musæo meo videre palam est.

Quoad quartam petitionem circa Cellularum Lienalium existentiam, à parte mea haud stat, qui eas in Liene humano reperiri statuere velit, nunquam enim tale quid in hoc viscere humano bene constituto offendi, post membranæ, Lienem
huma-

humanum investientis, dilacerationem aut ablationem, Vascularum fasciculi, glandulæ ab aliis dicti, variis in locis simul quoque quidem auferuntur, ita ut sinuli exigui efformentur, & relinquantur, sicuti fieri videmus in pulve hordeacea crassiore, è qua hordei grana aliquot sunt eruta; tales autem factitios sinulos cellularum nomine condecorare rationi incontinentaneum, quis non videt? In Liene autem Vitulino cellulosi quid reperiri concedendum: textura enim supra dictarum fibrarum foraminulenta cellularum æmula est.

Itaque nullæ Cellulæ, nullæ quoque Fibræ transversales, ita decantatæ, in Liene humano bene constituto manifestantur. Professor Bidlous Tab. 35. Fig. 4. & 5. non Lienem, sed ejus tantum partem repræsentat, flatu distentam, exsiccata, & transversim dissectam, in qua non solum sæpius memoratæ cellulæ indigitantur, verumetiam textura fibrarum, glandularumque corpora; modum insuper præparandi addit, quo solemus uti in præparatione Lienis Vitulini, nempe aquæ simplicis injectione per venam, & ablutione. Verum enim vero eo ritu Lienis humani constitutionem indagare possibile esse, non video; injectione aquæ simplicis per Venam splenicam humanam sanguis elui quidem potest, non autem fasciculi sanguiflui, glandulæ dicti: ratio est, quod vena splenica humana instar cribri haud foraminulenta sit, quemadmodum in vitulino splene; neque in tales exit fulcos Vena splenica humana, ac vitulina, per quæ foramina & fulcos, dicti fasciculi elui & exprimi possunt, membranâ ambiente illæsâ: Præterea quam tenuis ac fragilis sit membrana, Lienem humanum ambiens & investiens, norunt ii, qui magis sese applicant indagationi corporum humanorum, quam brutorum: membrana autem Lienis vitulini adeo tenax ac crassâ existit, ut diu illæsâ tractari & fricari possit. Annus jam agitur xxxv aut xxxvi, quod illud negotium primus susceperim in Liene vitulino, fasciculos arteriosos supra memoratos per venæ splenicæ foramina, ut & fulcos, qui loco ramorum venæ sunt, leniter exprimendo, idque in aqua simplici; quo peracto, Lienem flatu modico extensum, post vinculi injectionem, exsiccabam, membranâ investiente illæsâ: post exsiccationem membranam auferebam cultello acutissimo, & sic fibræ instar retis se videndæ exhibebant, naturalem situm oc-

cupantes. Posthac in aliis Lienibus vitulinis ante inflationem primo arteriam materiâ ceraceâ infarciebam, & sic ejus ramificationes, arboris aut coralli rubri instar repentes, detegebam: Post me varii ex meis discipulis, quos inter Professor Bidlous, D. Sterchius, & alii olim erant, qui idem æmulati sunt. Ex hisce satis constare puto id, quod vobis in collegio privato sæpius innui, scilicet, haud nimis fidendum esse speculationibus, in brutorum extis institutis, quoniam ingens diversitas existit inter viscera humana, atque brutorum: unicum præterea afferre exemplum animus est, quo pateat detrimentum in assignando partium usu, solummodo partes corporis brutorum investigare: Cl. Professor Fr. de le Boë Sylvius, qui haud solum in praxi Medica fuit versatissimus, verum etiam in Anatomicis solertissimus, circa Lienis humani autem constitutionem, ad ejus usum assignandum, haud bene sibi prospexit, idque propter inspectionem Lienum vitulorum: cum enim Clarissimo dicto Viro olim ostenderem Lienes Vitulorum, nostro modo, superius allato, præparatos atque exsiccatos, fibrisque stipatos, valde mirabatur, illudque ad humanum transferre Lienem haud veritus est, uti liquet ex ejus praxi cap. XLIII. par. 4. ubi ita loquitur:

Mirabilis nervosarum fibrarum circa Vasorum omnium in Lienem ingressum textura, hoc sæculo à solertissimis Anatomicis detecta, non parum meam de sanguine ibidem à spiritibus animalibus copiose appellentibus subtiliore, ac spirituosiore præstando, adeoque plusquam perficiendo, confirmat conjecturam.

Interim talis, ut dixi, haud reperitur fibrarum nervosarum textura in Liene humano. Hisce, mi Studiosissime Campdmerce, me Tuæ petitioni satisfacisse reor, adjecta Vasorum Lienalium figurâ.

Studiorum tuorum Fautor,

FREDERICUS RUYSCHIUS.

Dabam Amstelodami

4 May, 1696.




Fig. 1.

Fig. 4.




Fig. 2.



T A B U L A Q U A R T A

Quatuor Figuras representat,

Quarum PRIMA Hominis Venam Lienalem indigitat, circa cujus ramos, per Lienem dispersos, considerandum, eos multis numeris esse plures, quam hic, citra confusionem, delineare potuerim; Secundo, considerandum quoque, minutissimas productiones, quas hic simplices delineavi, compositas, & meros esse fasciculos, ceu penicillos, quemadmodum Figura quarta demonstrat: Tertio extremitates horum fasciculorum nonnihil destitutas esse ab ulterioribus protractionibus succosis & mollioribus, in aqua simplici facile dissolubilibus.

FIGURA SECUNDA Truncum Arteriæ Splenicæ hominis, serpentino reptatu proserpentem, demonstrat, cujus rami omnes, unico excepto, sunt abscissi, qui alias distributioni Venæ Splenicæ ad usus sim respondent.

FIGURA TERTIA Portionem Lienis Vitulini exhibet, ita dissectam, ut ejus intercapedines, cellulæ dictæ, nec non fibræ transversæ in oculos incurrant.

FIGURA QUARTA Hominis duos exprimit ramulos Splenicos, cum annexis fasciculis, quorum primus Lit. A notatus, Venæ, secundus Lit. B insignitus, Arteriæ ramulus est; hic denuo notandum, singulos fasciculos longe plures in se continere protracta Vascula, aut magis esse compositos, quam hic, confusionis vitandæ causa, expressi.

F I G U R Æ P R I M Æ Dilucidatio.

- | | |
|---|---|
| <p>A. Truncus Venæ Splenicæ.</p> <p>B. Vas breve Venosum, per ventriculum distributum.</p> <p>C. Ramusculi minutissimi, ab extremis mollioribus & succosis productionibus nonnihil privi.</p> <p>D. Vena hæmorrhoidalis abscissa.</p> <p>E. E. Venulæ per membranam, Spleni adfitam & connatam, disseminatæ, è Vena Splenica oriundæ.</p> | <p>F. Venula, seu Vas breve alterum, è Lienis intrinseco emergens, ubi notandum; non raro plura Vasa breviora, Venosa dicta, sese videnda exhibere, quam hic exhibeantur.</p> <p>G. Unum ex Vasis Lymphaticis, Venam Splenicam concomitans.</p> |
|---|---|

F I G U -

FIGURÆ SECUNDÆ Explanatio.

- | | |
|--|--|
| <p>A. <i>Truncus Arteriæ Splenicæ.</i>
 B. <i>Rami abscissi.</i>
 C. <i>Ramusculi minutissimi, ab extremo molliori & succoso nonnihil deorbati; ubi quoque notandum, sicuti de ramusculis Venæ Splenicæ innui, minutissimas productiones, quas hîc simplices exhibeo, compositas & meros esse fasciculos ceu penicillos.</i>
 D. <i>Vas breve arteriosum, per ventriculolum disseminatum, circa cujus exortum notandum primo, quod non ra-</i></p> | <p><i>ro numero binario, trinariove emergat: Secundo, variare illud ratione egressus ejus; sæpe enim loco hîc notato erumpit, sæpius quoque Arteria Splenica ab intrinseco Lienis ramum unum aut plures emittit ad stomachi sinistram partem, id quod in Vase brevi Venoso Lit. F. Fig. 1. expressi.</i>
 E. <i>Rami arteriosi aliquot per Pancreas disseminati, qui longe plures sunt, quam hîc repræsentavi.</i></p> |
|--|--|

FIGURÆ TERTIÆ Expositio.

- | | |
|---|---|
| <p>A. <i>Portio Lienis Vitulini, post fasciculorum supra memoratorum educationem, ac demum incisionem, oblata.</i>
 B. <i>Fibræ transversæ.</i></p> | <p>C. <i>Fibrarum intercapedines, quæ cellulæ audiunt, & in Liene Humano in statu naturali nequaquam inveniuntur.</i></p> |
|---|---|

FIGURÆ QUARTÆ Dilucidatio.

- | | |
|---|--|
| <p>A. <i>Ramulus Arteriæ Splenicæ.</i>
 B. <i>Ramulus Venæ Splenicæ.</i>
 C. <i>Fasciculi ceu penicilli, circa quos notandum; eos à se invicem esse de-</i></p> | <p><i>ductos, ut distinctius sese videndos exhiberent: in statu autem naturali sibi invicem impositi sunt.</i></p> |
|---|--|



